



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Asiaticae Historiae Societatis Iesv Pars ...

Libris Quatuor Comprehensa: Vbi praeter res gestas à Patribus Societatis Iesv in conversione Sinarum, Cocincinae, & Tunchini Regnorum nihil omittitur eorum, quae possunt liberali placere Lectorum curiositati

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1670

43. Nanciani optatissimè Riccius nesciens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10757

ci viderentur Christianis esse sanctiores. Iam suo quem colunt Deo, tot prodigialiter patrata tribuunt, vt possint stolidi ad ea stupere, inter quæ illud est quod subterraneum infinitorum volaminum draconem, Nanciano, & Prouinciæ minantem exitium, catenis duabus ad columnas ferreas ligauit (ex quibus inditum superbissimo eius templo nomen) tum profundis emerſus specubus, sua cum domo & talpis in ea nidificantibus momento in cælum raptus est. Cuius portentæ admirabilitas quàm religiosos Chianſenſi Prouinciæ motus, tam latus Prouinciæ cæteris riſus parit. Verum Literatis Paradisus & inferi, Elisi sunt, & Orcus, Poëtarum commenta, excogitata continuendæ plebi, damno magis & vtili quam honesto frænari assuetæ, incumbunt nihilo segnius Philosophicæ virtuti, habentur prælectiones de illa publicæ, & academiæ frequentes vbi tractantur officia viri boni, boni patris familias, boni Ciuis, & boni Reſtoris ad felicitatem priuatam, domesticam, patriam, & regni totius spectantia, aduertitque Riccius hos Academicos, maiorem cæteris ostentasse modestiam, grauitatem, & linguæ prudentiam.

43.
Nanciani
optatissime
Riccius ne-
sciens.

Vrbem hanc sibi tantoperè laudatam ingressus Riccius Iunio anni 1595. & spes inter metusque adhuc anceps, mense integro insistit apud Deum, vt sibi adesset, & conciliaret gratiam tot Mandarinorum, quorum nemo erat à quo non posset vrbe pelli; vnus à quo posset retineri: & hanc sui quam sibi precabatur peculiarem Deo curam esse, statim animaduertit cum ex iis quos Sciaochini & Sciaocei per annos duodecim tam multos sibi deuinxerat Mandarinos ne vnum quidem nancisci valuit cuius auxilio vel ope iuaretur. Quare per se coactus rem suam agere, dum dissimulanter de iis inquit, qui sibi plurimum obstituri, vel profuturi videbantur, audiuit magnoperè laudari medicum nomine Guanchileum artis, & ingenij gloria celebrem, & apud omnes Mandarinos gratia pollentem Per hunc sibi putauit præuertendas accusationes peregrinitatis, quibus minimè dubitabat se delatum iri ad tribunalia; optabatque viri gratiosissimi commendatione, instructum iis dotibus agnosci ob quas desiderandus esset potius, quàm fugandus ob notam ortus peregrini: at enim quantumuis illic de facie ignotus; expetebatur cupidè & celebrabatur incomparabili apud proceres fama sanctimonix & doctrinæ, quam vbi didicit, fatetur se percussum grauiter quòd eam factis æquate diffideret, Guanchileum interea medicum, honore quam potuit maximo adiit, quo congressu primùm singularis reuerentiæ mutux significatio, tum de literis, & diuinis sermo vtrumque inter se arctissimo fœdere copulauit; ac dum satisfaceret Riccius roganti, & nunquam priùs audita detegeret, annus medico erat quæuis mora, donec miraculum hoc hominis vt quidem appellabat, amicis indicaret, qui Sinenſes doctrinas Sinis ipsis callebat peritius; & Occidentis sui proprias, Sinis hæctenus ignoratas complectebatur animo, & verbis mirabiliter explanabat; quare illa

43.
Egrege iu-
uatur à me-
dico, & de-
pædicatur.